

Eccia M. J. R.

Illustrissimi, Reverendissimi, Spectabiles,  
ac Magnifici, Perillustres, item & Generosi  
Domini Nobis observandissimi!

5271  
21. Aug.  
1750.

**E**x quo Sua Majestas Sacratissima Cæsareo-Regia Apostolica benignè pensatis occurrentibus ab unione defectionis casibus, clementer decernere dignata sit: ut de dogmate Unionis minùs ritè edoctus, si ad schisma regrediatur, aut deficiat, certum subversantibus circumstantiis commensurandum tempus Clero Græco-Catholico tradatur, quò eundem in dogmate Unionis solidè instruat, ac de commisso per defectionem ad schisma reatu, mansueta agendi ratione convincere satagat. Contra eos nihilominùs, qui in dogmate Unionis ritè instructi fuerunt, si ad schisma deficient, aut regrediantur, juxta Præscriptum Benignæ de anno 1749. elargitæ Resolutionis Normalis procedatur.

Quantùm autem ad Presbyteros ritùs non uniti Unitos ad deficiendum, vel regrediendum ad schisma seducentes: hi pro primo seductionis casu, adminiculò processùs fiscalis contra ipsos erigendi comprobando, à Beneficio Ecclesiastico amoveantur, & in perpetuum à Functionibus Sacerdotalibus inhi-beantur; pro casu autem reiterandæ seductionis, juxta Præscriptum rementionatæ de anno 1749. Benignæ Normalis Resolutionis, arrestò, & jejuniò castigentur.

Quam proinde Benignam Resolutionem de Benigno Jussu Regio Prætitulatis Dominationibus Vestris finem in eum intimat Consilium hoc Locumtenentiale Regium: quatenùs in emerfuris præmissis casibus ad effectum illius ritè procedere, ac erigendos fiscales Processus ante executionem latæ in his sententiæ, horsùm semper submittere, sed & detegendos sibi juxta præmissa ejusmodi Apostatas, quos ideò, quod in Dogmate Unionis minùs ritè edocti existant, ad Schisma regressos esse, aut defecisse prodiret, priusquàm contra eos ad effectum præcitatæ Benignæ Normalis Resolutionis procedatur, concernenti Domino Episcopo Græco-Catholico abhinc sub hodierno eatenùs instructo finem in prædeclaratum tradere, ac eatenùs pariter informationem, cum expressione termini à quo ad quem hi traditi sint? Ejus item, num hi

ab

J 7447-B (6)

